



Disputatio juridica inauguralis de testamento militari

<https://hdl.handle.net/1874/343255>

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS

DE

Testamento Militari,

Q U A M

FAVENTE DEO TER OPT. MAX.

Ex auctoritate Magnifici Rectoris,

D. JOHANNIS MUNNICKS,

Reip. Ultrajectinæ Poliatri , atque in inclytâ ejusdem Academiâ
Medicinæ, Anatomes, & Botanices Antecessoris Ordinarii,

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academicî consensu , & Almae
Facultatis JURIDICÆ Decreto ,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in UTROQUE JURE Honoribus &
Privilegiis ritè ac legitime consequendis,

Eruditorum examini subjicit

FRANCISCUS OOSDORP, Geertrudæburgensis,
Ad diem 23. Decemb. horâ locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA , Academiæ
Typographi , clc Ic Lxxxv.

30

*Eruditione ac pietate Clarissimo
V I R O,*

P E T R O O O S D O R P ,

Ecclesiæ Christo Geertridisbergæ collecta est indiesque
colligitur Pastori indefesso , Parenti meo , honore ac amo-
re filiali ad extremum vitæ halitum semper colendo.

N E C N O N

Consultissimis ac Clarissimis VIRIS

D. GUILIELMO à NIEUWENHUYSEN ,

Med. Doct. inclytæ Reipublicæ , Harlemensis Senato-
ri meritissimo , ac nuper Scabino , & nunc apud Am-
stelædamenses Societatis Indiæ Orientalis præfecto di-
gnissimo .

D. JOANNI NOORTBERG ,

Mysteriorum Verbi divini dispensatori fidelissimo , ac Ec-
clesiæ Brædanæ Pastori vigilantissimo .

D. BERHARDO STUERMAN ,

J. U. D. & Territorii Cuycquiani ac civitatis Grave fisci
Procuratori vigilantissimo

Cognatis meis dilectissimis , & summopere venerandis .

Hæc Theses

Dedico & consecro

FRANCISCUS OOSDORP , Author .



DISPUTATIO JURIDICA

INAUGURALIS

TESTAMENTO
MILITARI.

THESIS I.



Estamentum est voluntatis nostræ
justa sententia de eo , quod quis
post mortem suam fieri velit. *I. i.*
D. qui testam. fac. poss. Estque
duplex vel paganicum vel militare ,
de quo posteriore nobis de-
cretum est disputationem insti-
tuere.

I. I.

Differunt autem testamentum militare & testamen-
tum militis, ut genus & species. Nam omne testamen-

A 2 tum

4 DISPUTATIO JURIDICA

tum militare est etiam militis, sed non omne testamentum militis statim est militare, hoc est privilegium. Sed quoniam vulgo confunduntur, vocabulis promiscue utemur.

III.

Tum demum miles potest facere testamentum militare seu privilegium, quando degit vel in castris vel in expeditionibus. *pr. & s. Inst. b.t. l.i. s. pen. C.eod.* Ratio hæc propria est, non imperitia, quia miles degens in expeditionibus vel castris singulari modo vitam exponit periculo, pro Reipub. salute, & sape inopinati casus illum obruunt, & copia consulendi peritiores destituitur.

IV.

Loquimur autem de illis militibus, qui in numerosi relati, sacramentum militare præstiterunt. *l.i. & tot. tit. D. & C. de testam. milit.* Ergo dicta privilegia non competunt mercatoribus aut laniis virtualibus, qui castra sequuntur, nisi forsan in hostico deprehendantur, & illic decedant. *l. ult. D. b.t.*

V.

Sed quid dicendum de doctoribus actu legentibus?
aut

aut de advocatis actu patrocinantibus? Illis denegandum ideo est privilegium, quia in illis cessat causa privilegii. Cessante autem causa, cessat ejus effectus. Gaudent tamen hoc privilegio, ut possint testari, quamvis sint filiis. sed jure communi. §. ult. Inst. h. t.

V I.

Ex identitate rationis videtur idem statuendum de militibus, qui vivunt in locis limitaneis, quia illi ante se habent fossas & mœnia, possuntque consulere peritiores. Utique privilegia non temere sunt extendenda, cum ipsorum militum intersit. Sane milites nostri, qui etiam pro aris & focis militant, si sunt in expeditionibus vel castris, haud dubie eadem privilegia, quæ indulta sunt militibus Romanis, omnino merentur. I. 12. D. de legib.

V I L.

Quin imo & mutus & surdus miles testamentum facere potest. §. 2. Inst. h. t. Et. 4. D. eod. Scilicet si talis factus sit ex vulnere vel simili causa. Nam si quis à natura & mutus & surdus simul est, nullo modo potest esse miles, quum sacramentum præstare nequeat, quomodo ergo jure militari testari posset?

VIII.

6 DISPUTATIO JURIDICA

VIII.

Miles ex delicto militari capite damnatus potest facere testamentum. *l. 11. D. b. t.* sed an hoc jure novo possit extendi ad paganum, graviter controvertitur. Nos tamen negativam tuebimur, quia licet damnatus ad mortem, iure novo non fiat servus poenae, desiit tamen esse civis Romanus, & ideo testari non potest. *l. 3. D. qui testam. fac. poss.*

IX.

Sunt & alia privilegia militum, quod scilicet possint pro parte testati pro parte intestati decedere. *l. 41. d. b. t. & s. 5. Inst. de hered. inst. Quod moribus recte receptum est in paginis. Vinn. add. s. 5.* Præterea silentium militis non ignorantis se habere liberos pro exhereditatione habetur. *l. 9. & seq. C. b. t.* sed hoc privilegium correctum videtur per *Nov. 115. c. 3. 4. & 5.*

X.

Quid ergo de testamento militis, qui de peculio castrensi testatus nihil reliquit filio? Jure veteri non sub jacet querelæ inofficiosi *l. 9. & l. ult. C. de inoff. testam.* sed jure novo hoc quoque correctum videtur per *d. Nov. 115.* atque adeo tale testamentum erit ipso jure nullum. *l. 5.*

l. 5. C. de legib. Etenim privilegium dici non potest, quod patri concedit, ut impune proprium filium præterire posset.

X I.

Circa heredem instituendum vel substituendum miles potest etiam deportatos, & fere omnes, cum quibus testamenti factio passiva non est, heredes instituere. *l. 13. s. 2. D. b. t.* sed & certo tempore vel ad certum tempus. *d. l. 41. b. t.* sed & hoc recte extensum hodie est ad pagamos. *Vinn. ad s. 9. Inst. de hered. instit.* Denique miles etiam filio puberi pupillariter substituere potest. *l. 15. D. d. vulg. & pup. subst. & l. 8. C. de impub. & al. subst.*

X II.

Quod si miles post testament. fact. dederit se in adrogationem, stricto jure testamentum fit irritum, sed ex privilegio militum quasi ex nova militis voluntate convalescit. *s. 5. Inst. b. t.* An ergo hoc speciale in milite? Aff. *d. s. 5. d. l. 22. & seqq. d. b. t.*

X III.

Hisce præmissis quæritur, quot testes miles in castris debeat adhibere in testamento nuncupativo? Ad minimum.

8 DISPUTATIO JURIDICA

mum duos vel tres fide dignos §. 1. *Inst. b. t. l. 24. C. eod.*
 Utique unus testis nullus testis, etiamsi præclaro honore curiæ præfulgeat. *l. 9. C. de testib.* Cæterum si dixit aliqui, ego te heredem facio aut bona mea tibi relinquo, non oportet hoc pro testamento observari. Alioqui non difficulter testes existerent, qui affirmarent, se ita audivisse, & sic vera Judicia sæpe subverterentur. §. 1. *Inst. b. t.*

X I V.

Milis tamen in castris moriens non videtur tacite testamentum imperfectum paganicum confirmasse, quia voluntas in mente retenta nihil operari solet, nec privilegium dici potest, quod quis tacite testamentum minus perfectum adprobasse videretur. *l. 20. §. 1. & l. 25. D. b. t.*

X V.

Testamentum militis imperfectum ex privilegio rumpit perfectum, licet in priori testamento promiserit, se nullum aliud testamentum conditum esse. *l. 2. D. de injust. rupt. irrit. testam. & l. 35. d. b. t.* quia ambulatoria est hominis ultima voluntas, usque ad extremum vitæ spiritum. *l. 4. D. de adim. vel. transf. legat.* Præsumitur etiam miles in casu dubio potius jure singulari quam jure communi testatus. *l. 3. d. b. t.*

X VI.

X V I.

Miles tamen qui ignominiae causa missus est, jure militari testari non potest, quum privilegium præmii loco merentibus tributum est, nec anni spatiū, quod testamentis militum datum est, non prodest, quia hoc illis tantum datum est, qui honestam missionem meruerunt.
I. 26. D. b. t. Bald. ad d. I. 26.

X V I I.

Miles cingi iustus habetur pro cinquo, ut filius fam. licet sit, possit facere testamentum de peculio castrensi, si vel equestri militia exornatus sit, vel in comitatu principis retentus. *I. pen. D. b. t.* & ideo multo magis feudum, quod miles in bello quæsivit, debet adnumerari peculio castrensi, quoniam definitio peculii castrensis quadrat in casum propositum. *§. I. Inst. per quas pers. cuique adq. & tot. tit. D. de cast. pecul.*

X V I I I.

Si duobus à milite scriptis heredibus, alter hereditatem omiserit, pars ejus non adcrescit alteri heredi, quia pro ea parte intestatus decessisse intelligitur. *I. 37. d. b. t.* & pertinebit &c. si tamen alter alteri, vel is saltem, qui hereditatem adiit, omittenti sit substitutus, & sic ex substitutione

10 DISPUTATIO JURIDICA

tione expressa liquido probetur defunctum voluisse, quod & alteram partem ab alio omissam hic haberet, jam utique dubitari non oportet, quin & illam habere debat. *d.l.i.*

XIX.

Milites in codicillis directo hereditatem dare possunt. *l. 36. D. b. t.* secus est in paganis, quorum tamen voluntas slectitur in fideicommissum. *l. 76. D. ad SC^t. Trebell.* Milites possunt pluribus testamentis decedere. *l. 19. D. b. t.* sed paganorum testamentum prius tollitur per posterius, licet moribus posterius non rumpat prius, nisi quatenus priori contrarium est. *Vinn. ad §. 2. Inst. quib. mod. test. inf.*

XX.

In testamento militis cessat detractio Falcidiz, & ideo haeres ejus omnia legata solvere tenetur. *l. 12. C. b. t.* Nequaquam tamen in testamento militis valebunt institutiones captatoriæ. *l. 11. C. b. t.* quia videntur bonis moribus contrariae & continere votum captandæ mortis. *l. 70. & seq. D. de heredib. instit.* sed valeat illa ratio apud Italos, apud Belgas secus est. *Groenew. ad l. 15. C. de pact.*

XXI.

INAUGURALIS.

II

XXI.

Miles tamen impubes vel pubertati proximus, quamvis tribunitia dignitate praeditus sit, ultimum elogium conificere non potest, quia stabilem mentem nondum adeptus est. *l. ult. C. b. t.* Sic etiam prohibentur scrinarii vel apparatores, jure militari testamentum facere, licet eorum nomina matriculis militaribus referri videantur. *l. 16. C. b. t.* qua & secretariis & scribis ducum applicari potest. *Gothof. add. l. 16.*

XXII.

Si miles incertus an' sui juris fit, testamentum fecerit, valet testamentum ex privilegio. Nam licet incertus sit, an pater suus vivat, & tamen testamentum scripserit, testamentum valebit. *§. I. l. II. D. b. t.* Quod si tamen miles filius fam. ignorans patrem suum decessisse, de castrensi peculio in militia testatus sit, non pertinebunt ad hæredem ejus patris bona, sed sola castrensis. *d. l. II. §. ult. D. b. t.*

XXIII.

Miles tamen veteratus si decessit, universa bona etiam paterna ad hæredem pertinebunt bonorum castrorum, quia veteranus non potuit de parte bonorum testari

DISPUTAT. JURID. INAUGUR.

stari , nisi jure communi . *l. 13. §. 1. d. b. t. l. 19. §. 2. D. de castrenf. pecul.*

X X I V .

Veteranorum militum privilegia inter cætera etiam in delictis habent prærogativam , ut separentur à cæteris in pœnis , & ideo nec ad bestias damnantur , nec fustibus cæduntur . *l. 1. D. de veteran. sed vectigalia & patrimoniorum onera solennia sustinere debenr. l. 2. §. 1. D. eod.*

F I N I S.

